

addiscendi ea quae ad salutem scitu necessaria sunt, vitandi amissionem gratiae divinae, etc. Quare peccata contraria implicite in aliis peccatis accusandis declarantur. *Proximus* autem intellegitur quaevis creatura intellectualis quae nobiscum capax sit donorum supernaturalium et aeternae beatitudinis ac propterea ad divinam quasi familiam pertineat. Excluduntur ergo tantum e creaturis intellectualibus daemones hominesque damnati.

Hic directe non agimus nisi de *caritate theologica* seu de amore cuius motivum formale sit divina bonitas, ut cum diligimus aliquem quia hic amor Deo placet vel quia in proximo personam ipsius Christi Dei aspiciamus. Datur tamen et alia virtus moralis caritatis quae exercetur ab eo qui proximum diligit propter honestatem quam, lumine rationis, in hoc amore cernit. (Ball. P. n. 35)

Distinctis paragraphis dicemus de variis officiis quae e praecepto diligendi proximum derivantur: imprimis de positivis, nempe de generali obligatione diligendi proximum eique in necessitate opem ferendi, de correptione fraterna, de elemosyna; deinde de negativis, nempe de odio et dilectione inimicorum, de scandalo, de cooperatione ad malum.

§ I. DE GENERALI OBLIGATIONE DILIGENDI PROXIMUM EIQUE  
IN NECESSITATE OPEM FERENDI.

**215.** Datur praeceptum diligendi proximum actu non tantum externo, sed et interno, seu bene ei volendo. Tenemur enim proximum diligere *sicut nosmetipsos*. (Luc. X, 27) Jamvero fieri non potest ut nosmetipsos non diligamus actu formali et interno. Ideo reprobata est ab Innoc. XI Prop. 10<sup>a</sup> quae diserte obligationem talis actus negabat.

Theoretice quidem de hac obligatione idem dicendum est quod supra (n. 212) statutum est de actu caritatis erga Deum eliciendo. Practice autem facillime satisfiet orando pro omnibus, ut fieri solet in Oratione Dominica, dummodo nemo ab hac communi oratione et dilectione excludatur: qua de re dicetur § 4.

Insuper caritas praecipit ut proximo bonum velimus et opere etiam externo procuremus, praesertim ubi in necessitate versatur. (1 Joann. III, 17 seqq.) Hoc autem officium ut determinetur, attendendus est *ordo* qui inter varia bona variasque personas viget.

**Bonorum** triplex species assignari potest: *spiritualium* seu *supernaturalium*, *naturalium* quae animae et corpori intrinseca sunt, ex. gr. vita corporalis, doctrina, etc.; *naturalium* quae homini extrinseca sunt, ut fama, divitiae. Spiritualia *per se* praestant temporalibus, intrinseca extrinsecis. Non tamen propterea quodlibet vel minimum bonum supe-

rioris ordinis praestat, *in morali aestimatione*, cuilibet bono ordinis inferioris. Sic nemo mallet ingentis summae jacturam facere quam per unam horam levissimum capitis dolorem pati.

Inter *personas* diligendas varius ordo statuendus est prout agitur de ea dilectione quam comitatur gaudium de bono ab aliis possesso, et consequenter honor ac reverentia, vel de ea dilectione, qua desideramus alteri bonum nondum possessum et quam comitantur misericordia et beneficentia. In priore dilectione, ii sunt anteponendi qui meliores sunt ac Deo similiores: nam magis conjuncti sunt cum praecipuo caritatis objecto quod est Deus. Quare sub hoc respectu magis diligendi sunt parentes quam uxor et filii, christiani quam infideles, justi quam peccatores. In posteriore dilectione, magis diligendi sunt qui nobis sunt conjunctiores quoad ea bona quae sunt debita tali conjunctioni et in quibus haec fundatur. Sub hoc respectu, hic erit ordo: conjux, liberi, parentes, fratres, reliqui consanguinei, amici, etc. (2. 2. q. 26. a. 9) Attamen ob justas causas, puta quia persona conjunctior vitiis foedatur, remotior virtutibus nitet, iste ordo nonnumquam immutari potest.

**216. REGULAE** quibus determinatur obligatio succurrendi proximo praesertim in spirituali necessitate constituto:

**I.** In pari ordine bonorum parique necessitate et causa, magis tenemur nosmetipsos diligere quam proximum. (Ball. P. n. 38) Christus enim posuit dilectionem hominis ad seipsum, sicut exemplar dilectionis quae ad alterum habeatur. Sed exemplum potius est quam exemplatum. Ergo, ceteris paribus, tenetur homo magis diligere seipsum quam proximum, seu dilectio proximi similis, non aequalis esse debet dilectioni erga seipsum. (2. 2. q. 26. a. 4) Ubi vero par non est ordo bonorum, necessitas vel causa seu condicio nostra et proximi, non raro hunc nobis praeferre debemus, ea ratione quae in sequentibus regulis de necessitate spirituali vel temporali explicabitur. Specialis quaestio num liceat vitam propriam postponere vitae alterius, elucidabitur n. 362.

**II.** Ad procurandum proximo quodcumque bonum sive spirituale, sive temporale, numquam licet ullum ne veniale quidem peccatum facere: Dei enim beneplacitum et amicitia rebus omnibus creatis praeferranda sunt. Spirituale autem bonum, ad quod adipiscendum nullo praecepto obligemur, licet quandoque postponere utilitati alicui proximorum sive spirituali, sive etiam temporali. Sic differri potest ingressus in religionem sive ad conservandam curam animarum quae alium pastorem aegre invenirent, sive ad opem ferendam parentibus egenis. Reapse tamen, in hoc casu, lucrum spirituale quod ex caritate omittitur

per caritalem compensatur. Tandem licet etiam, ad opem ferendam proximo in necessitatibus spiritualibus vel temporalibus, se peccandi periculo exponere, dummodo lapsus non appareat moraliter certus : quod vix continget ubi aliquis se, non ex animi levitate, sed ex justa causa et cautionibus adhibitis, periculo exponit, cum divinae gratiae auxilium merito sperare possit. Exemplum habes in confessionibus peccatorum turpium excipiendis, vel medendis feminarum vulneribus. (Ball. P. n. 44)

**217. III.** Proximo *in extrema necessitate spirituali* constituto succurrendum est etiam cum certo vitae periculo, dummodo spes proximum salvandi sit moraliter certa, nec quisquam alius id probabiliter praestiturus sit. Ratio est quia, cum debeamus “ pro fratribus animas ponere „ (1 Joann. III, 16), id saltem in hac necessitate, omnium summa, verificari debet.

Intellegitur adesse extrema necessitas spiritualis ubi proximus sibi relictus salutis impedimentum aut omnino superare nequit, aut tam aegre potest ut ei censeatur moraliter impossibile, puta ubi moribundus verae religionis ignarus sine baptismo moriturus est, Non tamen constat hunc esse casum *christianorum* qui valde rudes sunt ita ut actus contritionis eliciendi videantur incapaces : quae opinio est S. Alph. (n. 27). Nam nullus fidelis censendus est adeo rudis ut, opitulante Dei gratia, nesciat se toto corde ad Deum convertere. (Ball. P. n. 51) Sed videtur assimilanda extremae necessitati necessitas gravis *communis*, quae contingit tempore ex. gr. luis contagiosae, quia inter multos moribundos non deerunt qui in extrema necessitate versentur : unde, ubi saevit ex. gr. cholera morbus, tenebitur sacerdos, etiam non curatus, ceteris deficientibus, vitam exponere, ad absolutionem dandam. (S. Alph. l. c.)

**IV.** Proximo *in gravi necessitate spirituali* constituto non est succurrendum cum certo periculo vitae, famae vel bonorum, nisi ab iis qui ex officio in salutem animarum incumbunt, quales sunt parochi. (Vol. II. n. 120) Intellegitur autem gravis necessitas spiritualis illorum qui sibi relictus, aeternae damnationis periculum nonnisi aegre vitare possunt. Hinc, cum tandem, si velint, possint seipsos salvare, non videtur quare aliis tam onerosa obligatio iis succurrendi ex sola caritate imponenda sit. (S. Alph. n. 31) At si potest quis alterum e gravi necessitate spirituali eripere sine proprio incommodo gravi, letaliter peccaret id omit-tendo. Ita saepe gravis esse potest obligatio succurrendi populo qui secus, ob haereticorum vel incredulorum conatus, fidem amissurus est, eo vel magis quod quandoque moraliter impossibile est rudioribus

sophismata agnoscere, ac proinde plures verisimiliter in extrema necessitate versabuntur.

N. B. *Necessitas spiritualis communis* est illius qui letaliter peccavit et manebit in peccato, vel qui peccaturus est, nisi doceatur vel corrigatur. Qua de re sejunctim dicitur paragrapho sequenti.

De obligatione autem succurrendi proximo in necessitate corporali videsis § 3.

### § 2. DE CORREPTIONE FRATERNA.

**218. DEFINITIO.** “ Correptio fraterna est admonitio fratris de emendatione delictorum fraterna caritate. „ (4. dist. 19. q. 2. a. 1) Hinc patet *principium* hujus operis misericordiae spiritualis esse caritatem; *finem*, emendationem delinquentis; *medium*, admonitionem aptam ad hunc finem assequendum. Ex eadem definitione liquet quomodo differat a correptione *judiciali*. Haec enim fit a persona auctoritatem habente qua tali, per impositionem alicujus poenae, ut delicta quae redundant in commune detrimentum puniantur et reliqui a similibus delictis absterreantur. At correptio fraterna potest fieri a quocumque, etiam inferiore, per merum opus misericordiae, et directe intendit bonum spirituale delinquentis.

**ASSERTA. I.** Datur praeceptum tum naturale, tum divinum correptionis fraternae, quod ex genere suo sub gravi obliget.

Obligatio naturalis facile demonstratur : nam, si caritas obligat ad sublevandam necessitatem proximi temporalem (n. 223. I), multo magis idem valet de spirituali, quando id in nostra potestate est. Obligatio legis divinae deducitur ex Eccli. XIX, 13, 14, et praesertim e verbis Christi apud Matth. XVIII, 15 : “ Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. „ Hanc obligationem esse ex genere suo gravem, liquet e natura caritatis e qua derivatur.

Haec per se procedunt de corripiendo eo qui in peccato mortali versatur. De peccatis autem venialibus, alii censent nullam praecipere correptionem, alii obligationem levem adstruunt, sed raro faciendam, nisi facillime possis. (Ball. P. n. 156) Immo, etiamsi de peccatis mortalibus emendandis agitur, practice omissio correptionis fraternae plerumque venialis erit : quia privatis sat raro constabit adesse omnes condiciones requisitas ad strictam obligationem, praesertim aptitudinem ad proximum a peccato retrahendum. Cfr. 2. 2. q. 33. a. 2. ad 3.

In iis autem qui auctoritate praediti sunt, ut Praelati erga subditos, parentes erga filios, facilius poterit esse obligatio gravis, cum multo

aptiores sint ad emendationem procurandam. Immo, etiamsi agitur de emendandis venialibus, possunt Praelati religiosi sub gravi obligari ad correptionem, si ex hujusmodi culpis multiplicatis grave detrimentum disciplinae regulari immineat. (S. Alph. l. 3. n. 35)

**219. II. Condiciones** requisitae ut quis fraternae correptionis praecepto obligetur, sunt sequentes :

1° Ut certo constet de gravi peccato proximi. Constare autem id debet sine ulla inquisitione in facta aliena. Talis enim inquisitio ad solos Superiores spectat : si a ceteris fieret, gigneret odia et dissensiones ac proinde adversaretur caritati fraternae.

2° Ut correptio videatur necessaria, nec probabile sit emendationem sponte secutam vel secuturam esse : nam corripiendi obligatio in sola alterius necessitate radicitur.

3° Ut nullus alius adsit aptus et correptionem probabiliter adhibiturus : sic enim iterum deesset necessitas.

4° Ut sit certa spes emendationis secuturae : nulla enim datur obligatio ad rem quae praevideatur inutilis fore. Abest quoque obligatio si dubitatur utrum ex ea secuturum sit emolumentum an detrimentum spirituale delinquentis.

5° Ut correptio fieri possit sine gravi corripientis incommodo : nam caritas cum tanto incommodo non obligat. Hoc applicandum etiam iis qui, ex officio pietatis, aliorum curam gerere debent, quales sunt parentes erga filios, maritus erga uxorem, etc. (S. Alph. l. 3. n. 40) Episcopi quidem et parochi, etiam cum gravissimo incommodo, quandoque ad subditos corrigendos tenentur, quia, ratione stipendii, ex justitia ad istud faciendum obligantur. Haec tamen obligatio, cum non oriatur e sola caritate, proprie non pertinet ad correptionem fraternam.

**III. Quando peccatum ex ignorantia invincibili** committi advertitur, probabilius non datur per se obligatio correptionis faciendae, quaecumque sit ignorantia juris vel facti, juris naturalis vel positivi. Ratio universalis est : non committi tunc verum delictum ideoque non esse locum emendationi delictorum. (Ball. P. n. 159 ; Lehm. I. n. 615) Hinc probabilius per se non datur obligatio corripiendi seu monendi eum qui ex ignorantia comedit carnes die prohibita, legit librum ab Ecclesia proscriptum, sed agenti minime periculosum, etc. Multi tamen cum S. Alph. (n. 36) opinantur materialiter peccantem corripiendum esse, praesertim quando ex ignorantia violat jus naturale.

Per accidens obligatio oriri potest, praesertim ob damnum tertii vel commune, ut si quis ex ignorantia detinet rem alienam ; — ob damnum ipsius ignorantis, ut si quis ingressus est societatem quam nescit esse

catholicae religioni adversam ; — ob scandalum, ut si sacerdos inscius domum meretricum ingrederetur. Insuper, ii qui speciali titulo, puta Praelati, patris, etc. tenentur docere personas sibi commissas, saepe ad talia peccata mere materialia corrigenda obligantur : nam munus ipsorum directe eos obligat ad depellendum a subditis ignorantiam et plurima damna quae ex ea nasci solent, puta ob aliorum scandalum, ob pravas consuetudines quae inde contrahantur, praesertim ubi contra jus naturale agitur.

**220. IV.** In correptione facienda *regulariter* servandus est ordo quem Christus praescripsit (Matth. XVIII, 15-17), scil. ut corripias privatim, deinde coram testibus, tandem ad Praelatum Ecclesiae sive Superiorem deferas.

Ratio est quod caritas obligat ad parcendum famae proximi, quatenus, salva correptionis efficacia, fieri potest. Attamen circumstantiae interdum dictant licere vel expedire ut hic ordo invertatur et statim res ad Superiorem deferatur. Intellegitur autem hic delatio quae dicitur *evangelica* et fit Superiori ut patri ad emendationem delinquentis. Haec confundenda non est cum denuntiatione quae dicitur *judicialis* et fit Superiori ut judici ad bonum aliorum, praecipue commune vel ipsius denuntiantis. Interdum tamen una cum altera miscetur, ut notat Ball. P. (n. 174)

Casus in quibus ordo ille servandus non est, sunt sequentes :

1° Si peccatum est publicum, seu quando tot personis notum est ut nulla tergiversatione celari possit : tunc enim nulla ratio est cur famae parcat.

2° Si speratur emendationem melius obtineri posse statim denuntiando rem Superiori tamquam patri, omitta correptione secreta. Ita habet sententia longe communior et probabilior, teste S. Alph. (l. 5. n. 243) Ratio est, quod obligatio parcendi famae delinquentis evanescit quando omissio monitionis secretae magis juvat ad finem principalem correptionis fraternae, qui est emendatio fratris. Supponitur tunc Praelatum esse discretum et prudentem, subditum autem ita dispositum ut facilius a Praelato quam ab alio se corrigi sinat.

3° Si necessitas vitandi malum, quod tertio vel bono communi imminet, exigit ut delictum immediate Superiori manifestetur, ut si quis prodicionem molitur, haereses spargit, etc. Ratio est, quod tunc praevalet bonum commune vel tertii innocentis. Attamen, ubi speraretur fructus e privata monitione, haec esset praemittenda (quamquam, ubi de gravibus delictis contra bonum commune agitur, vix illud sperare licet).

E duabus postremis exceptionibus, concludere fas est cum S. Alph. (n. 245), in congregatione religiosa raro fieri ut delicta nequeant statim

manifestari Praelato, vel quia aptior erit ad correptionem fraternam faciendam, vel ne damnum commune sequatur ob omissam denuntiationem. Si enim facienda esset correptio secreta, antequam adiretur Praelatus, eaque (ut plurimum contingeret) inefficax maneret, jam plerique ulterius non procederent ne facile innotesceret delinquenti quis eum denuntiasset. Ubi autem delicta sunt levia et consequenter infamatio levis, "major plerumque utilitas ex denuntiatione proveniet quam damnum fratris erit: praeterquam quod hujusmodi consuetudo denuntiandi Praelato levia delicta, ut ait Suarez, est quasi necessaria ad religionis statum conservandum." (S. Alph. ib.) Idem, saltem quoad graviora delicta, dicendum est de Collegiis, Seminariis, etc. (Gury, I. n. 233)

4<sup>o</sup> "Si corripendus est contentus ut Superiori statim significetur, ut est apud quosdam religiosos qui, quoad hoc, juri suo renuntiaverunt." (Bus. ap. S. Alph. n. 41) Hujus renuntiationis effectus est quod denuntiatio evangelica, omissa correctione fraterna, *regulariter* fieri potest: ergo non tantum quando adsunt speciales rationes modo explicatae omittendi privatam admonitionem.

Attamen, si certo constet fratrem perfecte emendasse peccatum occultum, neque ex eo imminere ullum periculum relapsus vel damni, non licet, etiam inter Religiosos qui huic juri renuntiaverint, denuntiare patri vel Praelato, nisi frater expresse in istam denuntiationem consentiat. Nam, etiamsi in hoc quoque casu cessaret per praefatam renuntiationem obligatio justitiae ne fama inutiliter laederetur, maneret tamen obligatio caritatis vetantis ne alteri facias quod tibi non vis fieri: quae ex genere suo gravis est. (Ball. P. n. 183) Hinc a fortiori sequitur quod addit Busebaum (l. c. n. 42): "Si Superior immediatus se solo possit delinquentem emendare, ita ut nullum periculum damni vel relapsus ipsi vel alteri vel communitati immineat, videtur peccare manifestando Superiori mediato delictum."

**221. QUAER.** Num alumni a confessario sint *sub gravi obligandi* ad denuntiandos occultos corruptores.

**RESP.** 1<sup>o</sup> Si tantum timetur unius vel alterius damnum, haec obligatio non videtur urgenda cum gravi incommodo denuntiaturi: nam caritas non obligat ad privatum damnum impediendum cum tanto incommodo. Hoc autem facile adesset, si poenitens denuntiationem exsequi non posset nisi simul proprium scelus fateretur Superiori apud quem integra fama frueretur. Insuper, saltem in nostris regionibus, plerique valde abhorrent delatoris nomen vel suspicionem.

2<sup>o</sup> Si grave damnum commune timeretur, ut puta plurium corruptio vel domus infamia, urgenda esset obligatio denuntiationis, non obstante

gravi incommodo poenitentis, nisi confessarius clare praevideret hanc monitionem suam non esse profuturam, vel dubitaret de efficacia denuntiationis ad malum praecavendum. Nam, ut dicit S. Alph. (Regole dei Semin. § 1. n. 5): "Advertendum est autem, quod, cum agatur hic de malo communi, multoties a gravi incommodo aut damno minime excusarentur." Cfr. Berardi, de Recid. II. n. 273; Lehm. I. n. 614; Frassin. Th. Mor. II. p. 210.

### § 3. DE ELEEMOSYNA.

**222. NOTIONES.** 1<sup>o</sup> Eleemosynae nomine proprie venit pecunia vel res quaecumque quae pauperi datur ad corporalem ejus inopiam sublevandam. Quae autem de rebus dicuntur facile applicari possunt actionibus quibus alienae necessitati opem feramus, ex. gr. laborem aliquem assumendo pro paupere, ditioem in ejus favorem adeundo, gratis ejus causam coram tribunali defendendo. Latiore sensu quandoque eleemosyna vocatur res pretio aestimabilis quae detur ut spirituali necessitati proximi subveniatur, puta erectis scholis catholicis, misso sacerdote qui populum derelictum a perversione fidei et morum tueatur, etc. De subsidio ad levandam necessitatem spiritualem proximi, judicandum est e dictis supra n. 217.

2<sup>o</sup> Quaecumque hic adstruetur obligatio intellegenda est de eleemosyna facienda pauperibus quorum necessitates nobis sua sponte innotescunt. Convenit enim inter AA. neminem, qui ad hoc speciali officio non adstringatur, obligari ad pauperes inquirendos nisi adsit dubium *grave* de necessitate vere extrema in qua versentur. Nec tale dubium exurgit quotiescumque aliquis pauper se dicit jejunum ab integro die et similia, cum multi haec mere ad misericordiam ciendam commententur. (Ball. P. n. 128) Ratio praecipua est quod "ad eum, qui necessitatem patitur, pertineat ut necessitatem suam exponat." S. Th. Quodl. 8. a. 12)

3<sup>o</sup> Obligatio dandi eleemosynam pendet a duplici consideratione: a necessitate in qua versatur is cui sit danda, et a bonis quae possidet ille de cujus officio quaeritur.

**Necessitas** corporalis, sicut et spiritualis, distingui solet in extremam, gravem et communem.

**Necessitas extrema** ea est in qua desunt necessaria vitae, aut periculum moraliter certum imminet amittendi valetudinem, pudicitiam, libertatem, integritatem membrorum, existimationem (D'Annib. II. n. 84), vel uno verbo, bonum aliquod ordinis superioris ei in quo sunt bona fortunae. Exemplo sint infans expositus quem ego solus viderim, pauper morbo